



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

S. Erasmus Martyr

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Festum S. Erasmi Martyris, &
Patroni tempore afflictionis Cle-
mentissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

EN! ridet S. Erasmus inter fustes, &
verbera, inter ferventem picem,
ceram & plumbum liquefactum. His
omnibus evadit integer. Quis conser-
vavit? Divina gratia. Bone! Cur nos
tam citò deijcitur? Turbamur? Hæc
nostra ignavia est. Hanc tollat firma in
Deum, & sanctos confidentia!

Instructio meritoria.

Ardeat hodie in nostro cubiculo spe-
ciale lumen, idque in honorem Glorio-
si Martyris cum tribus *Pater & Ave*,
& Psalmo: *Laudate Dominum om-
nes Gentes &c.* Cælum amicis abundat:
Cur negliguntur?

II.

S Erasmus Loricâ induitur ignitâ, &
pergit confiteri Jesum. Modica
tribulatio, vel turbatio nostrum invadit
animum: O fili! Et vix non desperan-
do negamus Jesum. O nos modicæ fi-
dei

dei

dei, & constantiæ! Multùm in hoc debemus adversitatibus, quæ eodem qual conjunctæ fœdere auxilio sunt ad humilitatem; plùs nobis boni una facit tribulatio, quàm omnes suis favoribus amici.

S. Franc. Xav.

Instructio meritoria.

Gratulemur S. Erasmo, & quidquid hodie occurrerit primum de adversitate illi in devotionis offeramus victimam. Quam victoriam, uti & plures ejusmodi patientiæ, & fortitudinis actus annotabimus in quodam libello in hunc finem præparato. *Facite vobis sacculos*, præceptum Domini est! In honorem 14. Auxiliatorum oremus 14. *Pater & Ave cum Credo.* Tot pro uno! Quanta securitas!

III.

Angelus astitit semper S. Erasmo, quæ & eum à tormentis, & manibus carnificum non rarò eripuit. Non deserit coelum amantes. Amemus! Paciamur! Magna pro Deo audeamus! Procul cum timore! Fidelis Deus in retribuendo, si & homo in serviendo.

Instructio meritoria.

Simus Cultores quatuordecim SS. Auxiliatorum, quos inter eminent S. Erasmus, certumque nobis intrâ hebdomadem constituamus diem, quem illorum honori ex toto consecremus cum *Lyta- nis de omnibus Sanctis*. Additò uno, vel actu alterò mortificationis vel in sensibus, vel voluntate propriâ. Quis faciet hoc? Et laudabimus eum. Dabit Deus occasionem! Nos promptam voluntatem.

Festum SS. Norberti Episcopi,
& S. Ordinis Præmonstratensis Fundatoris Gloriosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Quid hoc? O dilecte! S. Norbertus aulam deserit Imperatoris, vestem induit laceram, & miræ austeritatis aggreditur vitam. An non hoc est ludere mundo? Lusit & hic fat nobis: Fugiamus cum S. Norberto. Qui humana deserit, recipiet cœlestia.

Instructio meritoria.

Ut crescat ad insigne Ecclesiæ decus

can.